Teolog

DOLOR
SINE REMISSIONE
DOLOR MARIANUS

IPSO DOLORUM FESTO,
DOLOROSÆ AC PRODIGIOSÆ VIRGINIS,
IN SACRO MONTE OBORIENSI,
ORATORIIS AB EXEDRIS

DENUNTIATUS.

AC TANDEM:
AD PERILLUSTREM MAGNIFICUM
DOMINUM

D. VALENTINUM BEKIER GOCKOWSKI

PRO GRATIA ET INDULGENTIA

REMISSUS

PER

P. CYPRIANUM A S. GERARDO,
PROFESSOREM RHETORICES ORDINIS FRATRUM BMÆ DEI GENITRICIS ET VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO PROVINCIÆ MAJORIS POLONIÆ SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI STRICTIORIS OBSERVANTIÆ. PERORANTE E SUGGESTU F. LEONE A S. ADALBERTO ORDINIS ET STUDII EJUSDEM RELIGIOSO.

ANNO
QUO: SUIS DOLORIBUS, CONDOLENTE MARIA, MUNDO REMISSIONEM SALVATOR PROMERUIT
1755.

GEDANI, TYPIS HARTMANNIANIS.

IN

GENTILITIUM PŁOMIENCZYK

GOCKOWSCIANÆ DOMUS



Nôrunt cui ſerviant LEONES. Martialis
Ut fulgeat Aſtrîs, hic LEO *dignus.* Idem l. 9.
Multa cuuu LUCE *cucurrit.* Virgilius. 2. Æneid.
. . . *nullos terretur ad ictus,*
Nec Tela ulla timet, ſed ſe convertit & ultro
Quoſecunque movet, trahit ARMA *Viroſque.* Homerus.
Illi mos, Patriæ ſimiles generare LEONES. Silv. l. 16.

DEDICATIO.

DOLOR SINE REMISSIONE *veniam a Tua exposcit Gratia.* Perillustris Magnifice Domine, Mecænas Gratiosissime, Benefactor Colendissime. *Pridem* Gockowscios Judices *esse clementissimos agnovit orbis, etiam* Dolor sine Remissione *sperat sibi faventem Sententiam. Imò: Sole Justitiæ occidente, postquàm* tenebræ factæ sunt, *aliò divertere ignoravit, quàm ad* Gockowscianum Płomieńczyk. *Satis diu Electa ut Sol, sub Signo Crucis stabát, nunc in Signo Aviti* Leonis *suam figit Stationem. Postquàm* Leo de Tribu Juda *occubuit,* Gockowscianum Leonem *Maria eligit. Quondam etenim Socii Dolorum Leones fuerant, hinc* Ve-

strum

ſtrum Leonem *ſibi aſſociat* Doloroſa. *Utiqui & in Cælis,* Virgini Leo *proximus, etiam Virgo Virginum, a* Gockowſciano Leone *abeſſe noluit. Satis in lachrimarum Oceano, Columna Ignis maduit, potisſimus illi locus penes* Avitum Płomieńczyk. *Et certè: ſi* nôrunt cui ſerviant Leones, *& huic Mundi Dominæ,* Veſter Płomieńczyk *ut deſerviat, dignum ac juſtum eſt. Olim Hortos Heſperidum Leones cuſtodièrant,* Avitus Leo *Hortum Concluſum, expedit, ut cuſtodiat. Tot ſunt in* Veſtra Domo *ad Coronam, quam habet iſte Leo, Candidati, primò tamen Regina Regni Poloniæ Maria, eandem ſibi vendicat. Nec ſpes ſicca penes* Gockowſcianum Płomieńczyk: *exſiccabit Marianas lachrimas, & illuſtrem inter nubes Doloris accendet diem. Inſuper: huic Reginæ, Honor quidam eſt, cui Rex animalium* Veſter Leo *deſerviat. Vexerint quondam* Adrianum *Leones in Capitolium,* Avitus Gockowſciorum Płomieńczyk *altiùs Honorem Marianum promovebit. Hinc quanta* Gockowſcianæ Domûs *Dignitas attendendum, cui tantæ dignitatis* Leo *in Stemma conceditur! Si alius deeſſet ſplendor, ab* Avito Płomieńczyk *ſatis eſſet Clarisſima. Quærant ignes alii extra Domos proprias,* Gockowſciis, *ſplendor eſt ſemper* Domeſticus. *Hìc velut in Veſtaliis ædibus, Cuſtos ardet* Płomieńczyk, *quem accendit cum Honore Virtus, fovent Merita, Dignitates. Nec tantùm Soli* Cockowſcianæ Domui *hic ſplendor proficuus, etiam Polonia ab illo illuſtris eſt. Utiquè tot frigida Polonorum, ad Regnum defendendum inflammavit Corda, excitavit ſepultum in Pectoribus Amorem Patriæ, tot ferventisſima pro Bono Pu-*

blico

blico accendit desideria. *Imò non semel Siculas Vesperas experiretur Polonia, nisi illi hic alluxisset* Płomieńczyk. *Quot enim Hostes in favillam redacti, qui huic appropinquârunt* Flammæ! *Semper* Gockowscianus Płomienczyk *fatale Hostibus inter Martiales Cineres excitabat incendium, Patriæ Ignes Triumphales.* *Non Africa ut video, sed Cælum, hujus* Leonis *est Patria, cui innatus tantus fervor.* *Alii Leones ignem timent*, Avito Gockowsciorum Leoni *Flamma familiaris est.* *Et clariùs* Gentilitium splendorem *non intueor, satis enim* Gockowscianus, *licèt tantùm* ex ungue cognoscitur Leo. *Quondam* Philippo *Hispaniarum Regi, ejus* Ovis Leonem peperit, Gockowscianus Płomieńczyk *Fortis procedit ex Fortibus.* *Non enim ista* Domus *imbelles generat, quilibet ad robur Patriæ, medullis* Aviti Leonis *cum Achille enutritus, tanquam* Leo. *Habuerit Antiquitas fortes in exuviis Leonis Hercules, penes* Gockowscianum Płomieńczyk *plures numeramus Alcidas.* *Utiquè & efferatæ Gentes robur hujus* Leonis *hucusquè sentiunt: Quot non expertus hostis fulmina, dum in Polo Poloniæ iste exarsit* Płomienczyk! *Africani tantùm Leones ignem timeant;* Vester, *in mediam belli flammam, ocyor ruit fulmine.* *Vomat ignem* Płomienzcyk *alius*, Avitus Gockowsciorum Leo, *omnem in pectore servat flammam, quam evomat in Hostem extinguendum.* *Quiesce itaquè securè Polonia! vigilabit* Gockowscianus Płomieńczyk, *dum alius:* oculîs Leo dormit

** apertis

apertis. *Liceat hujus* Płomieńczyk *excitare &* *Cineres, & Clarisſimi reſurgent Viri. Priùs tamen magna* Bekierorum *adoret Nomina, quisquis* Gockowſciana Numina *voluerit venerari. Aliter enim* Gockowſcios *nemo colet, niſi* Bekieros *Antecesſores adoraverit. Quanta hujus* Domûs *Magnitudo! non una hic Domeſtica Dignitas, ubi non unum Cognomen. Fidem hujus ex* Perilluſtri Thoma Bekier Gockowſki, *ſi quis non credit, colligat. Quondam hic* Thomas *palpavit* Svecorum *Corda, utpote jucundus* Terrigena, *pòſt in Poloniam veniens, totus in corda Polonorum introivit. Devicit ſingulorum animos, cum* Cruciferis *veniendo, in uno* Ordine Theutonico, *omnium* Ordinum *affectus, in ſe vidit Ordinatos. Merita tanti Viri calamô non pondero, pridem enim in* Cruciferorum *ſtatera ſunt approbata. Viderunt collecta hoc in* Thoma Theutonici, *quæ alios, diviſa, Meritisſimos efficiunt; viderunt virtutes & rectefacta, quæ dum eloqui difficilè fuerat, cognomen* Gockowſki *pro Elogiis, & Bona* Gockowy *in recognitionem obtulerunt. Age Gratias Regno Sveciæ pro tanto Filio Noſtra Mater Polonia, tot jam Fidisſimos Patriæ numeraſti* Gockowſcios, *quorum hic* Thomas *primus fuit Antenatus. Tanti Antecesſoris Succesſorem* Juſtum Bekier Gockowſki *ut adoret Oratio, dignum ac juſtum eſt. Pridem in Templo Honorum hic* Juſtus *ad adorandum eſt expoſitus, imò: Publica Fama eundem hucusquè beatificat. Quod*

enim

enim omen figuravit *Nomen*, *hoc Virtutes* & *Merita comprobârunt.* *Utinam tales* Juſtos *plures haberet Polonia! brevi Beata diceretur.* *Tandem gallus* Petri Bekier Gockowſki Tritavi Tui Perilluſtris Domine, *inter noctes Atticas Oratorem excitat ad elogia; verùm hujus* Petri *obligatus catenîs Solutus Orator, plura ſub ejus ſervabit clavibus, quàm aperiet.* *Non enim ſufficiens, humilis Eliana Rhetorica, quæ iſtam attollat* Petram, *quam Gravis in Regno Poloniæ Authoritas,* & *ponderoſa aggravant rectefacta.* *Illa inquam* Petra *hic* Petrus *eſt: ad quam hoſtiles corrumpuntur haſtæ,* & *in qua Patriæ exaravit Amor:* Murus Achæneus eſto. *Olim Chriſtus ſuper* Petram *ædificavit Eccleſiam, etiam, Polonæ Reipublicæ Felicitas, hoc in* Petro *fundabatur.* *Longius hæc* Petra *haberet Elogium, niſi* Quintus Præcurſor Tuus ſeu Atavus, Joannes Bekier Gockowſki, *veniſſet in paginam.* *Verùm penes* Vocem Clamantis *tenuis obmuteſcit dictio;* nemo *quippe* Major ſurrexit Joanne, *etiam hic* Joannes *crevit adeò, ut illum metiri calamus non præſumat.* *Gratias tamen agere* Cockowſcianæ Domui *tenetur Polonia, cui talem præſtitit* Gratiam. *Quid de* Abavo Petro Bekier Gockowſki *dicendum? Quam pretioſa in Corona Poloniæ* Petra *iſta! hoſtibus* Lapis offenſionis *fuerat, Patriæ, omni meliore lapillô, diſtinxit dies.* *Habet Claves Regni Cælorum, Sanctus Indiges, hic* Petrus *Polos Poloniæ cuſtodierat.*

Hinc

Hinc agnoſcat Orbis quàm fundata Gockowſciorum Domus, *quæ tales habet* Petras. *Inſuper: Apparitio* Michaelis Bekier Gockowſki Proavi *Tui ſit in pagina. Pridem* Michaeli *debita* Dedicatio, *etiam in* Dedicatione *iſta, debita illi adoratio. Verùm Archangelus foret, qui per Figuras Oratorias iſtum manifeſtaret* Michàélem. *Ipſum Nomen, Principis Cæleſtis Militiæ, Orator timet, & victus cedit dum cadit in Spolium. Quamquam & de Polono Horizonte non unus Draco cecidit, contra quem* Avito Leone *iſte pugnavit* Miahael. *Verè fulmina contra Hoſtes in ejus fuère manibus, & Umbo, ad Patriam protegendam. In Judiciis etiam* Perilluſtris Magnifici Domini Chriſtophori Bekier Gockowſki Judicis Caſtrenſis Naклenſis Avi *Tui comparere neceſſum eſt; ubi vix cauſam dicendi induco, multarum laudum me Reum agnoſco. Si* Acta Naklenſia *conſulo? multa in illis, Acta præclara illius invenio. Notârunt quippe ſententias hujus* Judicis *Areopagi, imò hucusquè loquuntur ejus curiam, in adminiſtranda Juſtitia Curiæ, novum in Conſiliis Catonem, in Decretis ferendis Lycurgum, mirantur & eſſe judicant cum Judicibus Aſſeſſores, cum Aſſeſſoribus Univerſi. Plura* Acta *dum non capit Panegyris, Annales ad captum ſingulorum exponant. Electionem adhuc* Joannis Caſimiri Regis *numerus oratorius deducit in Periodum, cui Idem* Perilluſtris ac Magnificus Chriſtophorus Bekier Gockowſki, *inter conſcriptos Patres, Selectiſſimum*

cum

cum Palatinatu Marieburgensi adscripsit votum. A Perillustri Avo Judice, *ad* Judicidam Naklensem Perillustrem Antonium Bekier Gockowski Genitorem Tuum *appellat dictio; cujus non quæro laudes, cum penes* Antonium *sit in promptu Inventio ad elogia. Sed quid Natalium Tuorum evolvo cineres? In Te uno ut in speculo* Mecænas Colendissime *videt Polonus Orbis, quidquid in Antecessoribus mirabatur. Agnoscunt jam singuli, quales Prædecessores Tui fuerant, qui talem reliquerunt Successorem. Optimos Optimates fuisse* Gockowscios, *publica declarat Fama, nunc in æstimatione hominum, non minùs valet* Valentinus Bekier Gockowski, *quem Optimis Similem aut Meliorem, esse probant. Nimirum: viget in Te quæ in Numa Religio, fervet qui in Scevola Amor Patriæ, floret quæ in Catone prudentia, excellit profunda cum magnanimitate Animi humilitas, apparet cum benignitate Justitia, videtur non deficiens Liberalitas. Te Sanctorem Basilicæ Mecænatem, Monasteria Benefactorem, Miseri Patrem egenorum agnoscunt; si virtus pingeretur,* Valentinus Bekier Gockowski *exemplar foret. Et hæc est* Domûs Gockowscianæ *prima Linea: quid si tota series esset differenda? Honor quidem foret Calami & dignitas Paginæ, plures recensere* Gockowscios, *verùm fatiscit Penna aliquos efferendo, plures, plùs cadendo adoraret, quàm scribendo. Languet, dum* Fortissimum *in Casibus Patriæ* Andream *attendit dictio, Crux Magna Oratori, laudes hujus*

*** Andreæ

Andreæ *vel tetigiſſe.* *Quos ſibi non vendicat Oratorios ſplendores* Jacobus *tonitrui Filius? Pariunt inter hæc tonitrua gemmeas Periodos Oratoria flumina, ſed inter tantos Rumores Panegyris non auditur. Si Pericles Orator foret, primò quid Conſonum, in laudem hujus* Jacobi *detonaret. Cum Mavorte Polono* Georgio, *calamô certare, plùsquàm auſus eſt; inter Victrices ejus laureas, flores Oratorii non apparent. Sterilem illum Annales loquuntur, in laudibus tamen Fæcundiſſimus. Penes Regale* Ludovici *Nomen expalleſcit dictio; Adoret ſuos* Ludovicos *Gallia,* Ludovicum Bekier Gockowſki *adorat Polonia. Quippè: Regium illi nomen, ſimul quæ & Reges decent actiones. Verè: ſatis ad laudem dicere, fuiſſe* Ludovicum. *Quam non merentur Panegyrim* Perilluſtres Magnifici Domini: Chriſtianus Ludovicus & Erneſtus Ludovicus Bekier Gockowſcii, Sacræ Regiæ Majeſtatis Boruſſorum Secretarii Tui Patrui? *Bini uterquè Nominis, ſed innumerabilium meritorum. Illorum tamen laudes conticeſcit dictio, quibûs plenæ ſunt exteræ Nationes, plenum, ubi extant, Berolinium. Si* Perilluſtrem Joannem Bekier Gockowſki *commemoro? etiam hic* Joannes *ſuos Panegyriſtas ſibi vendicat, qui in Comitiis, diſertum quoquè egerat pro Patria Oratorem. Verùm ejus* Votîs *obligatus, tacere potiùs quàm loqui cogor; laudes tamen hujus* Joannis *ad memoriam ſæculorum perveniant, qui etiam Terrarum Pruſſiæ, Diſtrictûs Czluchovienſis Anno 1736.*

Lega-

Legatum *egerat.* *Hic & Remos* Adalberti de Łekno Zieleniewo Łakinſki Fratris tui Uterini Perilluſtris Domine *miſiſſem in fontes Oratorios, niſi jam ad marginem tenderet Dedicatio. Ergo jam laſſata tantorum Nominum pondere, pluribus cadit in adorationem Oratio, & quorum laudes enarrare non ſufficit, ſaltem mirabitur Eloquèntia. Non temporum etenim, ſed æternitatis Labor eſt,* Gockowſcianam ſeriem *ad Periodum revocare. Interea à* Gockowſciana Domo, *ad millenas prope Tuo nomini* Mecænas Colendiſſime *Colligatas Domos invitatur Oratio; & cæcus Orator eſſet, ſi tanta in Polono Horizonte ſidera, penes* Avitum Płomieńczyk *non videret. En augent Oratorios Splendores Illuſtrisſimi, ſuisquè titulis Viri Ornatisſimi:* DZIERZANOWSCII, STOLINSCII, CHRZĄSTOWSCII, GRABOWSCII, KRZESINSCII, WAŁDOWSCII, RAROSZKOWSCII, KOMIEROWSCII, KACZKOWSCII, MROWINSCII, TRZEBNICCII, WOLSCII, KOLCZYNSCII, WEDELSZTEDII, LEMCZYNII, DORĘGOWSCII, NOWODWORSCII, KIEŁPINSCII, SLESINSCII, MELINOWII, LODENII, WIĘCKOWSCII, HARCEMBERSCII, CZARLINSCII, ZŁOTNICCII, LUTOMSCII, MARNIFESTII, MICHROWSCII, *aliiquè ſexcenti, quorum Elogia nec tangere audet Calamus, cùm Mentes excedant Oratorum & ingenia. Si Cælum Pagina, Oceanus eſſet ſepia, nondum tantis Nominibus deſcribendis ſufficerent. In tanta itaquè Aſſiſtentia &* Dolor ſine Remiſſione *veniam à Tua expoſcit Gratia* Perilluſtris Domine.

Acclinas

Acclinas benignam aurem aliorum Miseriis, & Gemitus Marianos exaudi. Tot Afflicti, tuâ Gratiâ sunt Consolati, dignare & Dolorosam Consolari. Non enim extinguent Avitum Płomeińczyk *Marianæ lachrimæ, imò inter istas mæroris Umbras, apparebit Splendidior. Satis quidem Illustris in Polo Poloniæ* Gentilitius Leo, *clariùs tamen* Gockowscianæ Domui *allucebit, postquàm hoc* Signum *Electa ut Sol ingressa fuerit: videbit Orbis & mirabitur, quomodò penes* septem Dolores *valebit* Valentinus. *Etenim: Marianæ Angustiæ Vitæ Tibi protendent Stamina, Honorem & Fortunam obligabunt. Ita proponit* Dolor sine Remissione, *ita precatur Oratio,*

Ita vovent
Devinctissimi Tuo Nomini
OBORIENSES CARMELITÆ.

ORATIO.

Quando tandem Marianus abſolvetur Dolor! Tot Pœnitentes in Feſto Dolorum abſolvi vidi, ſola Innocentiſſimá Virgo, ſemper relinquitur Doloroſa. Unus inquam ſolet remitti Dolor, hìc ſeptem Mariani Dolores non remittuntur. Bulla Cruciata Maria eſt, Indulgentiam tamen niſi fortè in Doloribus non video. Septem etiam Dolores ſeptem quædam ſunt Sacramenta, ſine Satisfactione tamen eſt Pœnitentia. Examinate Theologi utrùm perfecta hæc Contritio. Utiquè ex toto Corde Maria dolet, dum usquè ſeptem gladiîs transfixum eſt. Supernaturalis etiam Dolor iſte, cùm naturam omnesquè vires ſuperat. Eſt quoquè Contritio ex amore DEI, utpote amore Chriſti. Nec deſunt fletus & ſuſpiria: en ab ore ſingultus, ab oculis pendent lachrimæ. Inſuper: quotannis Quadrageſima Dolorem iſtum Sanctum indicat; ſexta etiam Feria, in meditatione Paſſionis Domininicæ, licèt poſt Dominicam Paſſionis, devotum probat. Ergonè tam perfecta Contritio remiſſionem non meretur? Ergonè tam Sancta Virgo, ſine abſolutione adhuc relinquitur Doloroſa? At ſcrupu-

 lum

lum habeo, & aliter mihi dictat conſcientia: Reſervatus ad abſolvendum eſt Dolor iſte, poſtquàm Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech expiravit. In Crucis Tribunali ſuſpenſa, Chriſto pendente, hæc Contritio, jam nec ſacra Pœnitentiaria, nec Sancta Sedes diſpenſabit. Nimirum: adeò grave peccatum eſt illud Chriſticidium, ut pro illo ſatis dolere non poſſit Doloroſa. Multùm peccavit humana malitia, hinc tam diu Dolor Marianus confitetur. Infinitè pro mundi peccato Dolor Filii ſatisfecit, etiam Dolor Matris non remiſſus, eidem correſpondet. Jam Mons Oborienſis eſt quædam Calvaria, & quæ: *Stabat juxta Crucem JESV Mater ejus*, illa hucusque & in hoc templo Statua Doloris permanet. Utinam non eſſes Juſtus Mariane Dolor! faciliùs remiſſionem meruiſſes. Invideo vobis hanc gratiam cæteri Pænitentes; vobis ſufficit ad reconciliandum ſignum Doloris dare, Virgini Doloroſæ, & ſeptem Dolores non ſufficiunt. Quid ergo proderit tanto Dolori hodierna Oratio? alii dum inter Dolores Orationes abſolvunt ſatisfaciunt, non Orator Marianus. Utiquè tot Orationes abſolvit Eliana Rhetorica, non tamen pro Doloroſa ſatisfecit. Tamen non eſt deſiſtendum à Propoſito, quando nec Maria deſiſtit à Dolore. Abſolvatur oratio, quamvis Contritio Mariana non abſolvitur: Audiatur Facundia, quando non exaudiuntur Gemitus Doloroſæ. Verùm inter Dolores jam me defeciſſe video! Magnus quippe defectus eſt, inter Dolores facundum eſſe. Nimis laxæ conſcientiæ ſignum, inter lachrimas perorare ſine ſcrupulo.

Verè

Verè cenſurâ & pœnitentiâ dignum opus, ibi Solutum agere Oratorem, ubi ſine remiſſione Dolor ligatus manet. Potiùs orare quàm perorare in Feſto Dolorum expedit! potior gemitus quàm Facundia, ubi ſuſpirat & Maria. Ergò valete applauſus Oratorii! gratior mihi plauſus, quem facit, manus præ Dolore complodendo Maria. Valete affectus alii! primus mihi inter undecim, affectus Doloris Mariani: Geſtus alios non curabo, ſufficit pectus tundere præ Dolore. Pro Actu Scholaſtico, Actum Doloris Mariani eligo. Sit aliàs munus Oratoris delectari, mihi hodie Contritio Mariana in votis eſt. Imò: tanto Dolori meam Propoſitionem adjungo an Propoſitum, & Dolorem Marianum: DOLOREM SINE REMISSIONE confiteor. Eſtote Doloroſo Oratori propitii Auditores Digniſſimi; dabitis veniam ſi in quo deliquerit, utiquè & Dolor Marianus eſt cum exceſſu.

Remiſſionem cum Dolore conjungi, non tantùm Oratorum, ſed & Theologorum ſenſus eſt. Multos quidem habet gradus Contritio, in unoquoquè tamen, poteſt Indulgentia impetrari. Non ita venas cordis magnus intendit Dolor, quin aliquando remittat. In cauſa Doloris non ſemper Judicium, etiam Remiſſa datur. Non inquam Via crucis eſt ſine meta, tandem aliquando Statio permittitur. In lachrimarum Oceano non ſemper navigandum, & hìc datur non plus ultra. Non ſemper pane Doloris uti ſolitum, ſales interdum adhibentur. Poſt amaros disguſtus guſtantur & ſvavia: poſt illos flebiles ſingultus,

tandem

tandem jucunda modulantur Cantica: poſt auguſtas anguſtias, libera ſine ſcrupulo & læta evadit Conſcientia. Nimirum: meretur dulcia, qui guſtavit amara. Juſtum ut gaudeat cum Democrito, qui flevit cum Heraclio. Sic: non ſemper in mundo tenebræ, nocti diem videmus ſuccedere. Poſt denſa nubila, tandem hilaris Sol oritur. Non ſemper & fulmina vibrat Jupiter, etiam tranquilla ſerenitas apparet poſt tonitrua. Sic: demersîs in mari tempeſtatibûs, bona emergit malacia. Poſt iratæ hyemis rigores, tandem amica ridet æſtas. Utiquè & Alpes maceravit Annibal; ſic & Montes Dolorum ſuperantur. Meretur inquam remiſſionem magnus Dolor; non enim ad mortem eſt Contritio, ſed potiùs ad vitam & ſalutem. Verùm his Doloribus impar quia ſeptenarius Dolor Marianus! Tot fundit lachrimas, quælibet tamen ſine fructu remiſſionis areſcit: tot eructat ſuſpiria, & ullum non habet reſpirium: tot edit gemitus, non tamen exauditur. Solæ ut video Dolorum Spinæ in Horto Concluſo locum habent, nulla Conſolatio. In Acie caſtrorum Ordinata, ſine ordine & ſine fine certat Dolor. Creſcit ſemper in Doloribus Pulchra Luna, Decreſcens non apparet. Electa ut Sol, ſemel inter nubes mæroris exorta, nunquam videtur ſerenior. In Mari Gratiarum nulla eſt tranquillitas, undiquè emergunt tempeſtates, in quibus plùs ultra navigandum. Huc usquè ſolus mihi videbatur volvi continuò in rota Ixion, ſed & Cælum Animatum Maria, in motu Doloris aſſidua. Cedat hìc ſemper cadendo ſub ſaxo Zyſiphus, etiam continua jam video

cordis Mariani oppreſſio. Verè DOLOR SINE REMISSIONE Dolor Marianus, alia ad vitam, ſola Contritio Mariana eſt usquè ad mortem. Interim ut abſolvatur Oratio, ſerius inter ſenſus Doloris Mariani examen facio.

Ut quævis Contritio ex Dono provenit, ſic & Doloris Mariani, Gratia Incarnationis eſt Principium. Licèt ſine originali concepta Virgo, tamen circa Adæ peccatum Dolores elicuit. Nempe: Concipit æterni Patris Filium Virgo Mater, & plusquàm millenos ſimul concipit & Dolores: In ipſo Conceptu doluit ut parturiens. Inter materna viſcera immenſum coanguſtavit Deum, ſimul tamen ampliſſimîs conſtricta eſt anguſtiîs Unicum tantùm ſuſcepit Verbum, & innumeros formavit ſingultus. Fons vitæ, hoc intravit Mare, & ecce lachrymarum Diluvium. Plenam Gratiâ dixit Angelus, Spiritus etiam Sanctus eidem obumbravit, Dolor tamen non remittitur. Jam tunc triſtis hucusquè exultavit Orbis, Maria triſtari cæpit. Deſiit populus cantare Rorate, Virgo Diviniſſima triſtes modulabatur threnos. Poſtquàm nubes pluerant Salvatorem, Maria lachrimas cæpit fundere. Nimirum: tanta Dei Gratia, diſpoſitio fuit Doloris Mariani. Rea Innocentia pro homine obnoxio ſatisfaciens, ad Contritionem ſtimulabat. Magnus fuit Doloris Mariani ſenſus, dum Impaſſibilis pati cæpit & ſentire. Verùm quia internus Dolor iſte, hinc ad remiſſionem, niſi manifeſtaretur, non fuit ſufficiens. Ergo publicè precatur veniam, Joſephus intercedit, uno Verbô pariendô ſe

 excuſat.

excuſat. Eſtote iſti Dolori propitii Principes ſacerdotum! permittite Virgini Doloroſæ, ut quod ſentit onus, in veſtris deponat Domibus. Invenit Dolor iſte Gratiam apud Deum, inveniat & apud homines. Nemo ex hac Contritione pænam timeat, imò ſperet Divina ſolatia. Vos quoquè Portæ aperimi! Portâ Cæli pariente. Reſerentur etiam occluſæ Domus, ubi adeſt Clavis David. Peccaſtis multoties immunda Palatia, nunc pro Pænitentia, Dolorem Marianum cum Redemptore ſuſcipite. Sed fruſtra verbîs pulſo, ubi pulſanti Virgini non aperitur. Jam & in pedibus aures quærit ſingultus Marianus, non tamen exauditur. Plùsquàm lapideæ obturantur pectora, quæ nec lachrimæ Marianæ emolliunt. Moventur januæ, ad miſericordiam tamen nemo commovetur. Quilibet Dolorem Marianum abſolvit illicitè, ulteriùs remittendo: ubiquè Excommunicatio auditur, Communio cum hominibus negatur & Hoſpitium: tota deniquè Urbs inurbana, erga Mariam veluti Interdicta. Eja tibi Mariane Dolor! Speraſti veniam apud Homines, & ecce deſperare neceſſe. En partus inſtat, & ubiquè Domus occluduntur. Jam & Orbis Redemptor non acceptatur, Plena Gratiâ jam contemnitur, quilibet clauſis foribûs manet homo obſtinatus. Vos ſaltem Auditores Mæſtiſſimi ad Corda Veſtra Dolorem Marianum ſuſcipite, donec alibi indulgentiam impetraverit.

Interim extra Urbem exceſſit Doloroſa; adit ſpeluncam Bethleemiticam, ubi tanquam in Eremo citiùs indulgentiam mereatur.

At

At ecce! ſentiunt Dolorem Marianum ſenſitiva animalia Bos & Aſinus, quem rationalis homo nec ſenſit nec intellexit. Jam ſtabula Bonum Paſtorem ſuſcipiunt, quem ſprevit homo Ovis perdita. En rupes Bethleemitica illi volvitur in cunabula, cui lapideæ & corda, plusquàm ſaxa fuerant obſtinata. Jam Præſepe Frumentum Electorum ſuſcipit, quod periens præ fame mundus ſprevit. Quid hìc ages Mariane Dolor! ergonè ſenſum tuum cum Verbo, coram mutis animalibus explicabis? Hoccinè tanti Hoſpitis Palatium & periſtromata, ſtabulum & aranearum telæ? Hiccinè Solis Juſtitiæ ſplendor, ſolares inquam radii undiquè pertingentes? Hæccinè Regis Regum Majeſtas, quòd Bos & Aſinus venerando in terram cadant? Sed & tanta humilitas fuit Doloroſæ & Orbis Redemptori conveniens: non enim attendit apparentiam Pœnitentia, imò: multa facit, qui debet & cogitur. Hìc itaquè Deô Virgo gravida, ſuum deponit onus, hic exonerat Conſcientiam, an potiùs materna viſcera Marianus Dolor. Vidiſſes Cæleſtem illum Puſionem! colludebant gratiæ Infanti Diviniſſimo; verecundia adornavit frontem, compoſuit ocellos modeſtia, labella Innocentia tinxit coccô, Charites pudoris delitias propinârunt. Vidiſſes! Immenſum in anguſto reponi præſepio: Omnipotentem fasciîs ligari: vidiſſes Florem Nazaræenum in fæno collocari. Jam ergo Conſolare Mariane Dolor! en tibi natus Salvator arridet, jam propitius. Mugiant muta animalia, tui Gemitus jam deſinant. Utiquè & flumina jam congelavit December,

obſtruantur & fontes lachrimarum. Jam inquam lætos ſine nube Doloris vive dies, dum Oriens ex Alto exortus eſt. En cæleſtes exultant Angeli, dum Lætitiam Angelorum in terris conſpiciunt: congaudent & Paſtores, dum Agnum Dei inveniunt; lætetur & Virgo Mater Doloroſa! Inſuper: Stella lingua Cæli vocat Magos in applauſus: quod offerunt aurum ſilet, ſileant & Mariana ſuſpiria, myrrha cum thure oblatîs, tandem Juſtus Dolor abſolvatur! Verùm & hìc adhuc Contritio Mariana perficitur: Ipſa intenſa frigora, Dolorem ſine menſura intendunt non remittunt. Rupes Bethleemitica, ad mærorem Mariam conterit, paleæ ad compunctionem movent, præſepe Pane Doloris tractat, faſciæ adaugent anguſtias, vagitus Infantis Dei, Gemitus Marianos provocant, lachrimæ Chriſti, fletus Virgineos expoſtulant, deniquè tanquam ſine ratione in ſtabulo penes Bovem & Aſinum graſſatur Dolor. Jam & Angelici concentus ad lætitiam non excitant, ubi Mundus ſic ludit in Verbo. Conturbat non ſolatur Paſtorum turba, dum Agnus Dei pro Ariete, offertur in victimam. Expalleſcit præ mærore ad regales Purpuras Virgo Diviniſſima, dum ſimilî, Rex Regum caret. Oblatum aurum magis adhuc cor maternum onerat, quando Dominus Dominantium ſic eſt pauper. Myrrha cum thure, lachrimas fumando extorquent, quando Deus genitus, non colitur, profanatur.

Tantisper impleti ſunt purgationis dies, & in templo Dolor Marianus præſentatur. Jam illa

illa mundatur Virgo, quæ post partum Inviolata permansit. Implet legem Moysis, quæ Novæ Legis Authorem genuit. Offert pro eo par turturum, qui in victimam pro mundi peccato: oblatus est quia ipse voluit. Ergo parce huic Dolori juste Simeon! Sancta quippe Mater, in qua nec macula originalis, nec cortex actualis culpæ unquam fuit. En gemunt turtures, non jam ingemiscat Maria. Et crederem: tunc alleviari Dolorem Marianum, cùm è Virgineis manibus Christum in suas ulnas suscepit Simeon: Sperarem & Mariam consolari, quando quam expectabat Consolationem, expertus est Senecio. At ecce! ubi præ gaudio dissolvi cupit Simeon, ibi Dolores Mariam appræhendunt. Qui sibi jucundè decantat, Nunc dimittis, idem Virgini Divinissimæ, triste canit Vaticinium. Explicat Casum horrendissimum Dolori Mariano plenus Spiritu Sacerdos, dum in ruinam & resurrectionem Christum positum esse nuntiat. Pro Absolutione admonitionem incipit & ad compunctionem stimulat, dum gladium Doloris, qui ipsius pertransibit animam, ominatur. Ita: non semper læta nuntiat, qui solus lætatur. Etiam Serenô Cælô, audiuntur aliquando tonitrua: sic & dum ludit mare, minatur naufragium. Hìc sensibûs destitui visa fuit Virgo Divinissima! pallebat penes niveam Senis canitiem, nec verbum audire erat, exquò omnia Simeonis in corde servabat, & Abbreviatum, in alienis vidit manibus. Verè Statuam Doloris hoc in templo pro tunc diceres, non Mariam. Jam quippe vidit ut in speculo eventus futuri temporis; vidit

funes & flagella; penſate quantus Dolor! vidit Spinas, Cruces, & opprobria; attendite quantus mæror! deniquè Vaticinante Spiritu, jam ſenſit Vitæ mortem; concludite quæ triſtitia! Tamen & tantus DOLOR, SINE REMISSIONE de templo receſſit, poſt Purificationem non eſt emendatus.

Creſcunt quippe in dies crimina, hinc & Maria plus ſemper dolet. En iterum Herodis Corona in vitioſum abit circulum, & in purpura, dignum verecundiâ ſcelus latet. Nempe: Ne Regnum amittat, Regem Cæli & terræ conatur de terra tollere. Jam vocatur ad arma miles, ubiquè edictum Cæſaris reſonat: ut inter homines quæratur Homo Deus, ne inter Liberos liber evadat, ut cum Innocentibus ſimul ſit morti obnoxius. Quid hìc tibi ſperandum Mariane Dolor! cum & pro Innocentibus pæna tam ſevera ſtatuitur. Fruſtra ſperatur Remiſſio, ex tam nefando Herodis Propoſito. Vos ſaltem Auditores Mæſtiſſimi, ubi abſconditus in carne Deus lateat, locum quærite; jam enim Maria deficit. Pallet Luna Pulchra, dum Soli Juſtitiæ in ipſo Ortu, Occaſum imminere recogitat. Stat velut exanimis in deliquio, animam ſimul cum Verbo tenet in manibus, dum Mortem Filii à tergo videt. Quid putat Pater Putatitius? Decreſcere præ angoribus videtur Accreſcens, cum & natus Parvulus dato capite debet minui. Sed ſiſte gradum & Propoſitum Herodes impie! Non enim & Regibus ſemper evenit, quod intendunt.

Con-

Conceptus & Nativitas æternæ Sapientiæ, eſt ſupra Regum capita. Cui aſſurgis, coram illo Principatus cadunt & Poteſtates. Natus Parvulus, etiam Auguſtos non timet: Puſio iſte & Gigantes humiliat. Verùm ſurdo narratur fabula, & malum putat optimum, propter regale malum. Sic: non rarò plus honor æſtimatur quàm Deus! Itaquè erumpit in platèas furibundus Miles, ut Viam Cæli inveniat: Luſtrat Solymæas Domos, ut Theſaurum pro Orbe redimendo fodiat & effodiat, fundit Sanguinem ex Infantibus, ut ſimul Rege Judæorum extinctô, ſic tincta, diu rubeat Herodis purpura. Audiſſes tunc, illos balare Agnellos cum ſuis Ovibus! vidiſſes, gladio occiſoris arridere Infantem! vidiſſes, ut abſconditus ſeipſum, mortis ignarus, prodebat Puerulus! vidiſſes, Cælum & terram plena eſſe ſuſpiriîs, ſolum cachinnari Cæſarem & ridere! O ſcelus! indignum Auguſtô, infimô indignum Homine. Plusquàm nefas eſt, velle ſtare per multorum ruinam, velle vivere per mortem aliorum. Sed plùs potuêre aſtra quàm Sereniſſimus. Adfuit in ſomno (ſi tunc ſomnus locum habuit) verus extra ſomnium Joſepho Angelus, & ſalutem Meſſiæ in pedibus & in Ægypto ſvaſit quærere. Sicquè tot cæsîs Innocentibûs, Innocens evaſit Chriſtus, in tam infami conflictu Dux Exercituum fugâ triumphavit. En tibi victoria Tyranne ſceleſtiſſime! tam copioſum fudiſti ſanguinem, & nullum fructum colligis; tot capita pro fundamento Imperii decollaſti, & ecce debile. Imò ſtylum ferreum, & iſta in corporibus inciſa lego aliter:

morieris

morieris & tu & non vives, qui Vitam mundi mori voluiſti: tot cæsîs Innocentibûs nec ſolus eris Innocens, ad iſtum ſanguinem brevì erubeſces. Nec ſum falſus Vates: Jam ille Sereniſſimus ad fatalem declinat occaſum, jam regale pomum & purpuram, mortalis rodit vermis, Imperialem Coronam vitæ terminat periodus, jam in Sepulchro jacet, qui ruinîs aliorum aſſurgure voluit, jam Sepulchrali premitur lapide, qui multos oppreſſerat. Adeo fatale eſt, quid contra Deum moliri! Hìc ſingultus verſi ſunt in tripudia; deterſit populus effuſas lachrimas, ubi ſomnô mortis clauſit Tyrannus oculos. Non enim erat, qui defuncto Requiem dacantaſſet, cujus Fatum, Fortuna fuit Imperii & applauſus. Inſuper Dolor Marianus ſolari cæpit, poſtquám juſtam ſceleri pænam abſolvit Tyrannus. Redeunt enim de Cælo moniti Sancti Exules, & demersîs in Nilo lachrimîs, ſerenos vident dies. Crevit tunc Infans Deus, & Dolor decreſcere videbatur. Jam duodecimum numeravit annum, Dolorum etiam ſumma, tot jam lachrimîs liquidari intellexit.

Verùm Recidivus eſſe ſolet magnus Dolor, parumper emendari videtur, & iterum ad flebilem ſtatum redeundo inſoleſcit. Rara ſiquidem gaudia, quæ diu & ad finem perſeverent. Sæpe: riſus Dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat. En iterum poſt illa reſpiria, ſuſpiria audiuntur: iterum Actus Doloris in Templo Salomonis incipiunt. Nempe: qui venit non legem ſolvere ſed adimplere, idem

Idem ſecundùm conſvetudinem diei, adit Sanċta Sanctorum cum Parentibus. Vidiſſes in illo templo flexîs genibûs humiliari Altiſſimum! vidiſſes, illum, gloriam Deo exhibere in tempore, cui, Soli Deo, laus, honor, & gloria in Sæcula. Crederem illo Feſto & Dolorem Marianum emendari, quando ſic fuit devotus & Sanctiſſimus. Imò eundem remitti credidiſſem, quando Summus Sacerdos, illud Feſtum celebravit. At ecce! vix de templo egredi contigit, mox defectus, Jeſu deficiente, committitur. Illa Devotio, in perditionem fuit Mariæ & Joſepho, dum Deus redeundo eſt perditus. Putavit quippe Pater Putatitius, illum, qui plusquam Salomon, penes Sedem Sapientiæ, in itinere commorari, credidit & pia Mater, Minorennem Filium Accreſcenti adhærere. Sic de illa Corona, periit Unio Hypoſtatica, ſic de illa Trinitate, amiſſa Divina Perſonalitas, ſic perditus, qui venit *quærere & Salvum facere quod perierat.* O quam Solenne Feſtum Dolorum poſt illa occurrit Solennia! Iterum quærendo inſtituitur per plateàs Proceſſio, ſed in Viam Crucis abit, qùia Via deeſt. Fiunt Supplicationes, & Verbum non reſpondet: quælibet Domus fit Oratorium, nullibi tamen Feſtum Inventionis celebratur. Jam apud Notos latens non agnoſcitur, à propinquis à longè abeſt, quilibet nec ſe vidiſſe, illum qui totus eſt Oculus confitetur. Jam prima ad occaſum declinat dies, & Sol Juſtitiæ non exoritur. Tranſit & ſecunda, infelix tamen, quia Bonum infinitum, Pretium Orbis redimendi non invenitur. Jam & tertia

 incipit,

incipit, & Trinitas illa non completur. Fluunt horæ plumbô graviores, momentum ætate videtur longius, una dies tanquam æternitas judicatur. Adeo Dolorosum est Amanti, Deum vel ad breve tempus perdidisse! Vos saltem hanc Quæstionem Auditores resolvite, jam enim Dolor Marianus desperat. Languet Rosa Mistica, sine Flore Nazaræno. Ruit Domus Aurea, quia Lapis Angularis deest. Jam Navis Institoris in lachrimis planè mergitur, dum Fons Vitæ extra Domesticos Margines est diffusus. Interea extra Domos Civitatis, in Domo Dei Deum reperiri video. Sedet in medio Doctorum æternæ Veritatis Magister, disserit inter illos Senecas, Juvenis in corpore, sed ante sæcula genita Sapientia, enucleat Scripturæ mysteria Rex Prophetarum, explanat Legem Moysis, Novæ Legis Institutor, docet inter libros Doctores, Orbis Professor sine libro peritissimus. Et tacent hôc Verbô loquente Legum periti Senes, mirantur tam senem in parvulo prudentiam, interrogati non respondent, quia nequeunt. Hìc tandem & Maria Casum in Verbo Reservatum agnoscit, defectum an factum explicat: *Fili quid fecisti;* proponit Quæstionem: *Dolentes quærebamus.* Tamen & inter Doctores hæc Doloris Quæstio non concluditur, Liber Vitæ tantùm recipitur, ut in illo sit magis devotus Dolor.

Nunc tandem in Passione Filii, quàm vehemens Doloris Mariani passio attendendum. In Mari rubro, magna velut mare, Contritio

Mariæ

Mariæ apparebit. Prima tamen Mortificatio poſt Ultimam Cænam hìc contigit: collatô Diſcipulis ordine, Dolor Marianus non abſolutus jam relinquitur. Nempe: cruentam pro hominibus impleturus pænitentiam Filius, jam Matri ultimum dicit vale. O Dolor! O Lachrimæ! ne quæſo materna viſcera rumpite! jam enim Vita Matris Morti ſimilis, quando Vita in mortem recedit. Jam animam in corpore vix tenent anguſtiæ, quando ultimos affectus cum amplexibus tenetur exprimere. Arrigite hìc benignam aurem Auditores Mæſtiſſimi; & ultimum illud ſubaudite Complementum. Vale (inquit Filius) Dilecta Parens! jam tandem cruentam Satisfactionem & pænitentiam, pro mundi peccatis incipio. Jam brevì, illis quæ formaſti membris, non erit ſpecies nequè decor: quod corpus infantilibûs obvolvebas faſciîs, illud diſſoluta ligabunt vincula, quæ labia Virgineo paviſti lacte, illa felle & acetô brevì potari videbis. Sitit meum ſangvinem mundus in maligno poſitus, ut perennes extinguat ignes. Quærunt Viam Cæli cum facibus congregatæ turbæ, ut ad æternam Patriam redeant, unde hucusquè erant & errant Exules. Jam mihi reſerantur Carceres, ut á ſervitute Diaboli emancipati homines, in auream Filiorum Dei evadant libertatem. Spoliabor ad Columnam Veſtibûs, ut veſtem Innocentiæ quam amiſerat, peccator recipiat. Spineâ Coronâ Rex Dolorum redimiar, ut Cæleſtis gloriæ Diadema, homo miſer non amittat. In Golgothæo Monte Cruci affixus exaltabor

ut

ut depressus ad ima tartari populus, usquè ad Montem Dei Sanctum elevetur. Jam inquam pro mundi Salute mori restat, ut morte æterna pereuntes homines, Vitam æternam possideant. Hìc ad excusandum Dolori Mariano jam verba deficiunt; plùs enim tacet quàm loquitur Magnus Dolor. Fletus tamen correspondens concinnant vale, nam & lachrimæ pondera vocis habent. Ergonè (gemitus interpretor) Infinita Sanctitas pro Peccatoribus pænas lues? Ergonè pro Homine Homo Deus, pro servo Dominus morieris? O Amor humani generis, quò meum Amorem stimulas! Utinam pro mundi Vita, Salus mea dilecte Fili ego moriar! Refugium Peccatorum nominor, utinam pro Adæ peccato pæniteam! Verùm ut Voluntati Patris Filius & Mater obtemperet, dignùm ac justùm est. Grata esset Doloris Mariani absolutio, potior tamen pro toto mundo Satisfactio. Ergo quò trahunt amoris funiculi, quò ducent parata vincula, jam perge Dilecte Fili! jam ego ab osculis & amplexibus te absolvo, quamvis meus DOLOR, SINE REMISSIONE maneat. Sic remissus à Matre Christi Dolor, profecit notabiliter, etenim usquè ad montem Oliveti. In Paradiso quippe primus Homo periit, sic perditum etiam in Horto Gethsemani Salvator quærit. In remedium inquam peccati venerat, inter flores & arbores quærebat antidotum. Eòusquè Rex tremendæ Majestatis iratus fuerat, æqualis Persona, quia similis Parti Filius, flexîs tamen in Horto genibûs eundem deprecatur. Illud superbum cum Serpente Colloquium:

eritis

eritis sicut Dii, humili Oratione quia procidens in faciem excusat. Sed eheu! quàm gravis terræ iniquitas, quæ usquè ad terram Christum còégit cadere! Magnum debitum Reus contraxit Homo, sanguineas guttas tanquam gemmas, ad primam Passionis instantiam cogitur Redemptor exsolvere. Tamen ne post mali prohibiti esum, fame æternâ homo pereat, & tam amaræ Passionis calicem, pro Mundi Salute, de manu Angeli, á Patre acceptat Filius. Quid nunc in Horto Concluso agitur, quando talia fiunt in Horto Gethsemani cum Flore Nazaræno? Arescit præ angoribus Virga Jesse, quando & Arbor Vitæ flectitur. Quos non profert tribulationum fructus quasi Oliva Pullulans, quando Vitis in Oliveto sanguineas stillat guttas? Quibus non deprimitur oppressionibûs Excelsa super sidera, quando & Altissimus in faciem procidit? Non inquam Marianus Dolor lucratur Indulgentiam, quamvis orat ad Patrem Filius. Inter istas in orando vigilias, dum alii Discipuli dormiunt, vigilat cum Judæis Judas Proditor. Quærit Thesaurum fur ìmprobus; accendit faces, ut Lux Inaccessibis extingvatur; parat funes, ut Agnus sine macula perducatur in victimam. Imo: jam signô Pacis, scelestos in turba tumultus excitat: jam enim Libertas æterna comprehenditur, jam ligatur. Tamen & tu liber non evades, Christô comprehensô, nequam Discipule! hoc peccatum osculi, æternas pænas vendicat; quod dixisti Ave, in ultimum tibi cum mundo vertetur vale. Non diu accensæ lucebunt faces, brevì Infernales

 habebis

habebis ignes. Ex adductis funibus ſaltem unum ſerva, in quo Cæleſtis Theſauri Fur & Proditor ſuſpendaris. Interea non unum Actum Doloris pro tam nefando ſcelere Maria elicuit: turba illa aggregavit mærores, funes addiderunt anguſtias. Tamen & ab his vinculis, Doloris Mariani ſupenſa Remiſſio. Augetur quippe Judæorum malitia, magis Deus in dies offenditur, hinc plùs ſemper dolet & Maria. En comprehenſa Innocentia ad Judicium ducitur, Sanctitas accuſatur, criminis arguitur, Judex futuri Sæculi tanquam Reus judicatur. Probant apud Annam veritatem datîs colaphîs falſi Teſtes, veſtis alba apud Herodem candorem & Innocentiam indicat, Pilatus tamen Innocentem, poſt tot tyrannides, adhuc punit & flagellat. Jam ille qui veſtit omnia, in oculis ſingulorum ſtat denudatus, ille Samſon fortiſſimus, vinctas manus ad columnam porrigit; plagatur Infinita Sanctitas, fundit ſangvinem, qui nihil dignum verecundiâ fecit; illud corpus integerrimum, jam virgîs & lorîs ſcinditur, laceratur. Quid nunc videtur in Speculo Juſtitiæ, quando Deo Juſtiſſimo tanta fit injuſtitia? Nequit ſatis conqueri Patrona Mundi, quando juxta Decretum Pilati ſic in Urbe Manifeſtatur noſter apud Deum Advocatus. Jam illa Columna Ignis planè à lachrimis extingitur, cùm & Filius ad Columnam tam copioſum fundit Sanguinem. Verè rumpitur cor Maternum præ anguſtiis, cùm alligata Chriſti Caro, catenîs divellitur. Verùm & tam gravi Pænitentiâ non ſunt contenti Principes Sacerdotum; ut magìs

fructuoſa

fructuosa sit Passio, & spinas colligunt. Imò jam illum *Agnum, qui tollit peccata mundi*, inter vepres video: Caput humani generis jam sertô ex tribulis redimitum: jam Rex Judæorum in Corona Spinea adoratur. O Terra Benedicta! nonne hos sentis sentes, quos, Benedictus qui venit, ex terra maledicta colligit? Nunc verè Lilium inter Spinas te esse credo, quando & Flos Nazarænus in vepribus. Etiam inquam Hortus Conclusus illîs sepitur spinîs, quibûs Cælestis Hortensius, cujus *Pater Agricola*, redimitur. Tandem ultimam Satisfactionem à Signo Crucis Salvator incipit: Levis, licèt gravissima, videbatur hucusquè Judæis pro mundi peccato Pænitentia, crucis pondere aggravatur. Imponitur humeris funesta Arbor, de arbore etenim omne malum cum malo, Primæ Parentis manus traxerat. Qui ad currendam Viam Crucis à Summo Cælo exultavit ut Gigas, nunc tantô depressus pondere, vix in Golgothæum procedit montem. Quos hìc Casus & Defectus Marianus numeravit Dolor! satiùs meditari quàm narrare. Ad istam tamen Crucem non datur Absolutio, imò hìc vel maximè Contritio Mariana intenditur, dum *attritus propter scelera nostra*, in Cruce jam extenditur. Nunc inter affixum patibulo chirographum, sertur & contra Dolorem Marianum Suspensio, quando post tot Dolores, & Christus est supensus. Promittitur quidem Gratia: *Ecce Filius tuus*, tamen DOLOR SINE REMISSIONE relinquitur, ubi Summus Sacerdos, dum cruentum Sacrificium *Consummatum est*, exspiravit. Quò tandem à Crucis Tribunali

appel-

appellabis Mariane Dolor! jam tantum nefas, totius mundi Oculus obſcuratus deſpicit, quis quæſo reſpectum habebit? Quondam Stellas in Capite, & Lunam ſub pedibus Marianis, Joannes vidit, nunc Cynthia cum Sideribus ſplendorem denegant. Jam inquam Virgo Sereniſſima nubiloſos vives dies, quando per Univerſum Orbem ſunt factæ tenebræ. En terra movetur præ Doloribus, ergone Materna non movebuntur viſcera? Velum templi & petræ ſcinduntur, nonne & Cor Marianum conteretur? Monumenta aperta ſunt, nec pectus Virgineum ſic obturatum, quin Doloribus pateat. Surgunt de Sepulchris poſt Mortem Vitæ redivivæ Mortes, etiam pene emortua Mater, vivere & mori tenetur in anguſtiis. Verè DOLOR SINE REMISSIONE Dolor Marianus! nulla ſpes emendationis, nulla ſpes veniæ invenitur. Ego interim circa ſepulturam Chriſti jam Requiem incipio: Jam inquam Propoſitionem meam an Propoſitum ultrà non elicio, poſtquàm DOLOREM SINE REMISSIONE ſum confeſſus. Vos ſaltem Auditores Digniſſimi, deficientem in Doloribus Oratorem abſolvite; utiquè pro pænitentia Orationem abſolvi; parcite, ſi in quo peccavi, quidquid hucusquè.

DIXI.